


ORATIO

DE

IIS, QVAE CVM VETERES, TVM RECENTIORES, INPRIMIS BATAVI ET GERMANI, DE VITAE CORPOREAE PRINCIPIO PHILOSOPHATI SVNT.

BERNARDI FRANCISCI SVERMAN

ORATIO

DE


IIS, QVAE CVM VETERES TVM RECENTIORES, INPRIMIS BATAVI ET GERMANI, DE VITAE CORPOREAE PRINCIPIO PHILOSOPHATI SVNT;

PVBLICE HABITA

DIE XIX IVNII MDCCCX.

QVVM IN ACADEMIA, QVAE EST HARDEROVICI, MEDICINAE THEORETICAE, ANATOMES, CHIRVRGIAE, ARTISQVE OBSTETRICIAE PROFESSIONEM ORDINARIAM AVSPICARETVR.





HARDEROVICI,
apud EVERARDVM TYHOFF,
Academiae Typographum.

V I R I S

ILLVSTRIBVS, GRAVISSIMIS,

QVI ACADEMIAE QVAE

EST HARDEROVICI

CVRAM GERVNT,

E I Q V E,

QVI HVIC ORDINI AB ACTIS EST,

VIRO CONSVLTISSIMO,

S A C R V M.

BERNARDI FRANCISCI SVERMAN,

O R A T I O

D E

IIS, QVAE CVM VETERES TVM RECENTIORES, INPRIMIS BATAVI ET GERMANI, DE VITAE CORPOREAE PRINCIPIO PHILOSOPHATI SVNT.

ILLVSTRISSIMI ATQVE GRAVISSIMI ACADEMIAE HVIVS CVRATORES!

QVI ILLVSTRISSIMO HVIC ORDINI AB ACTIS ES, VIR CONSVLTISSIME!

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR!

SALVTEM PVBLICAM HVIVS CIVITATIS QVI CVRATIS ET IVDICIA, QVIQVE ILLIS ES A TABVLIS, VIRI PRVDENTISSIMI HONORATISSIMI!

PRO-

PROFESSORES QVARVMVIS DISCIPLINARVM CELEBERRIMI, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONIVNCTISSIMI!

ARTIS PICTORIAE LECTOR, VIR DEXTERRIME!

RELIGIONIS CHRISTIANAE ANTISTITES FIDELISSIMI, VIRI PLVRIMVM VENERANDI!

ARTIVM ET DISCIPLINARVM QVARVMCVNQVE DOCTORES CONSVLTISSIMI, PERITISSIMI!

GYMNASII VELAVICI RECTOR, CAETERIQVE PRÆCEPTORES DOCTISSIMI!

ORNATISSIMA IVVENTVTIS ACADEMICAE CORONA, PARENTVM AMOR, SPES PATRIÆ, AMICI INTEGERRIMI!

QVICVNQVE INSVPER ADESTIS, CIVES, HOSPITES CVIVSCVNQVE LOCI, ORDINIS ET DIGNITATIS, AVDITORES EXOPTATISSIMI, HVMANISSIMI!

Quoties ego vitae meae, huc usque actae, curriculum, eumque, quem iam attigi, ſcopum, apud animum reputo, — reputo autem quotidie, — toties equidem, hac vero inprimis hora, ſacro quodam horrore penitus commoveri me ſentio.

Quum me, ex obſcuritate privatae vitae, artis ſalutaris exercitio, iuſtisque at incertis fructibus ex hoc fonte hauriendis, diligenter intentae, inopinato in lucem protractum, et diſciplinae, qua ipſe haud ita pridem imbutus esſem, publice docendae gratia, Praeceptorum commendatione Maecenatumque favore, in Cathedram Academicam promotum, videam: quin tamen huius loci, ipſiusque adeo Cathedrae, e qua olim Praeceptorum etiam meorum vox reſonuit, amplitudo et ſplendor, Munerisque inprimis mei gravitas me premant et percellant, vos profecto A. A. H. H. in dubium vocare

non poteſtis, qui me novitium doctorem vana de rebus ſuis opinione turgidum non esſe noviſtis: turpi enim hoc vitio me, ſpero, abſolvent, qui me norunt. Adhaec non leviter commovent temporum quae vivimus difficultas, incertique rerum eventus: quis enim ſola ſpe, ceterum artes alere non immerito dicta, ſuam ſuorumque vitam alat?

Enimvero quisquis puſilli non est animi, fiducia in ſummo Numine omnibus proſpicienti poſita, nil volentibus arduum esſe cogitans, meliora quaevis facile ſperabit, animumque eriget. Quod ergo felix fauſtumque ſit! ad capesſendi muneris ſolennia cum maxime accedere geſtio. Qua occaſione, quum ex Maiorum more Sermo, de argumento quodam, ex doctrinae quam profiteor penu petito, habendus mihi ſit, facere non posſum, quin denuo difficultatem in ipſo hoc dicendi limine commemorem, qua diſciplina noſtra eiusque augmenta, a priſtinis inde temporibus ad hodiernum usque diem, nimis eheu impedita ſunt. Uti enim veteribus artis magiſtris eorumque praeceptis ſic addictos

esſe

esſe dedecet, ut in eorum verba iuremus, ab eorumque partibus tam religioſe ſtemus, ac ſi omnem doctrinae ambitum, omnes eius partes tam bene conſtituisſent, ut nulla amplius eorum, quae illi decreverunt, exploratione, nulla praeſertim ipſius Naturae perſcrutatione asſiduaque conſultatione opus ſit: ita e contrario levis et male ſani ingenii est, optima antiquae induſtriae monumenta ſusque deque habere, eorum fructus vel obiter delibare, vel ideo quia antiqui aevi ſunt reprobare, at novis decretis ſolum inhiare, his delectari, novisque ſaepe longe quaeſitis ſyſtematibus, quorum alterum alterum trudat et invertat, fabricandis operam dare.

Quae extrema, quantum utraque noceant, verisque ſcientiae incrementis impedimento ſint, vix opus est ut exponam: ſubſiſtendo enim et otioſe acquieſcendo in doctorum veterum placitis, animus auctoritatis occupatur praeiudicio, quod impedit, quo minus veritatis lumen, e melioribus effulgens inventis, denſas, quae ei obductae ſunt, tenebras penetret et pellat: — ſpernendo contra et inepte reprobando, quidquid vetuſtum audit,

 quum

quum caeco impetu, prouti fors tulerit, in nova inauditaque feraris, perque campos floribus novis iucundos at fructu vacuos divageris, in devia facile duceris, ubi plus nocivi quam boni colligitur, atque mens adeo laeva fit, ut falſum a vero non recte diſtinguat.

Ita nimirum, ut illuſtri utar exemplo, accidit ut, postquam Pater Hippocrates, quarto fere ante Servatorem Jeſum Chriſtum natum ſaeculo, perfectiorem artis medicae ſcientiam Naturae operationibus accuratisſime obſervandis ſuperſtruere coeperat; ſex ſaeculis post, Claudius Galenus, vir doctrinae ubertate non minus illuſtris quam foecundi ingenii ſplendore, abſolutisſimum ſuum, at contemplatione philoſophica mirum quantum refertum et ornatum, medicae doctrinae condiderit ſyſtema. Cuius quidem tanta dein in ſcholis invaluit auctoritas, ut novis artis noſtrae incrementis ac melioribus impedimenta obiecerit gravisſima: quorum hoc praeſertim notamus, quod, caeca fide tanto Praeceptori habita, perverſaque de veritate iam ſatis inventa opinione abrepti, ipſius asſeclae ſibi per-

ſuaſerint,

ſuaſerint, ſuperfluam quin periculoſam esſe Naturae ad Hippocratis exemplum obſervationem et perſcrutationem, neque doctrinae iam ubique receptae, tam conſummatae ſcilicet denuo explorandae emendandaeve ullum ſuperesſe locum. Imo vero haec Galeni auctoritas, etiam in ſequentium Graecorum, Arabum et Europaeorum ſcholis, per integrum fere tredecim ſaeculorum decurſum perſtitit, tanta religione culta, ut a Magiſtri doctrina vel latum unguem recedere, aut meliora addiſcere, nefas haberetur. Quid? quod ſeriore aevo, postquam ſanguinis per arterias et venas motum, perque corpus noſtrum circuitum, detexerat et aperte demonſtraverat, ingenti hoc merito praeclarus, Harvaeus, antiqui Doctores ſcholaſtici inventi veritatem ideo agnoſcere detrectaverunt, quia Galenus illud non docuerat; quin nonnulli addidisſe feruntur, ſi tamen de re conſtaret, novum hoc ſibi videri Naturae phaenomenon, ſanguinemque adeo Galeni tempore nondum per corpus circumivisſe!

Quae quidem caeca brutaque pervicacia, ſcientiae augen-

augendae viam omnem praecludens, si vobis risum moveat A. A., quidni applaudatis violento famosi Aurelii Theophrasti Paracelsi, Alchymistae, instituto, qui quum, saeculo tandem XVI, Galeni et Avicennae libros ex Cathedra Basileënsi publice combussisset; scholarum auctoritatem nulla prorsus ratione alia infringendam, fanatico isto furore, concussit, imo fregit, vix quidem meliorem substituens doctrinam, at animos, alto longoque servitutis somno oppressos, ad meliora quaerenda audiendaque expergefaciens. Quod idem deinceps nostrates Helmontius et Sylvius, suo quisque modo, uterque vero magis placide, facere perrexerunt. Donec, veram augendae scientiae naturalis viam monstrante illustrissimo Bacone Verulamio, quem secutus est Boyleus, in arte nostra rectius constituenda ceteris facem praetulerunt Sydenhamus, Boerhavius, Fr. Hoffmannus, aliique viri egregii de Hippocratico, quid natura faciat aut ferat observandi et inveniendi, non autem systemata nova ex ingenio fingendi et excogitandi, studio bene meriti. Hac sola pro-

profecto ratione et via ſcopulos, ad quos Veri olim indagatores haud raro alliſisſe dolemus, feliciter praetervehemur. Hac demum ratione et via ſpes erit, fore ut emendata artis noſtrae ſcientia in diem magis creſcat, floreat, utilesque in veram generis humani ſalutem fructus ferat!

Enimvero metuo A. A. H. H., ne indulgentia veſtra, qua mihi admodum opus esſe ſentio, nimia exordii prolixitate, abuſurus ſim: quapropter ad ipſum, de quo ſermo mihi faciendus est, locum quantocyus accedendum esſe intelligo. Quae enim de univerſa doctrina medica dicta ſunt, valent quoque de ſingulis eius partibus. Valent igitur et de nobili loco, qui est de vitae corporeae principio et causſa. De quo Philoſophi veteres, nec minus Medici, auguſtum illud Naturae myſterium revelaturi, multa philoſophati ſunt, nec tamen ita philoſophati, ut ipſorum Naturae phaenomenorum rationem haberent, ſed luxurianti ingenio frena laxarent. Melius profecto ſeriori aevo et alii et inprimis noſtratium nonnulli in exponenda hacce doctrina verſati

fuerunt,

fuerunt. Quorum merita utinam et hodie omnes ſatis ſuſpicerent, neque, quum ipſi nova identidem ſyſtemata condere geſtiant, contemtim negligerent vel certe obſcurarent!

Itaque, quum vita frui nemini non dulce ſit, et in vitae cauſſas inquirere humanum; Medicis vero, quorum ars vitae viribus recte regundis plus valet quam medicamentorum adminiſtratione, commendatisſimum: vobis A. A. H. H. non diſpliciturum esſe ſpero, de quo dicere conſtitui, argumentum; dicam enim *de iis, quae cum Veteres, tum Recentiores, inprimis Batavi et Germani, de vitae corporeae principio philoſophati ſunt.*

Quod dum ago, viribus meis modeſte diffiſus, vos A. A. exoptatisſimi! enixe rogatos velim, ut, inexercitato oratori, eique latine dicendi minus perito, nec ſponte ſua, ſed ut antiquo mori obtemperet, ad dicendum accedenti, animis linguisque faveatis.

Corpo-

Corporibus organicis, inter caetera, quae profert Natura, formae et ſtructurae praeſtantia excellentibus, praeter partes organismum conſtituentes, principium quoddam et vim inesſe debere ſingularem, qua vivant atque a brutis machinis diſtincta ſint, ab antiquisſimis iam inde temporibus perſpexerunt, ſibique perſuaſum habuerunt primi in Graecis diſciplinarum cultoribus philoſophi. Nec profecto admirabile illud naturae phaenomenon, quo tot millia corporum vivere, vigere, propriamque tueri ſpeciem videbant, tam negligenter obſervare potuisſe videntur, quin ad eius causſam animum attenderent.

Fuerunt autem inter Veteres, qui, abditum hoc myſterium revelaturi, ad peculiarem, quam dicebant, Naturae harmoniam confugerent. Fuerunt, qui Geniis, quos Daemones vocabant, ut ingentem per univerſam rerum Naturam efficaciam, ita et corporum vita imbuendorum facultatem vindicarent. Fuerunt denique, qui cum ignem, cuius permagnam vim quotidiana doceban-

tur experientia, summum omnium in huius mundi universitate rerum effectorem haberent, cuncta producentem, cuncta animantem, tum calorem, qui vitae effectus est, vitae caussam salutarent. Omnes vero id, quod invenisse sibi videbantur, argutiis, subtilissimis illis quidem, sed Vero inveniendo parum inservientibus, stabilire conati sunt. O instabilem salutaris artis, tam levibus philosophematis innixae, sortem! Sed ecce! sive divus Hippocrates; sive strenui in schola Asclepiadea, verae philosophandi rationis vindices, scientiam inanibus istis opinionibus subtrahere gestientes, agnoverunt illi quidem singulare quoddam principium, a partibus corporum et continentibus et contentis diversum, τὸ ἐνορμῶν, ipsis dictum, omni vero ulteriori eius definitione sperandae seriorum temporum felicitati et faciendis in rerum scientia progressibus relicta.

Ex iis autem, quae modo breviter de varia Veterum theoria diximus, iam intelligitis A. A., quam laudabilis optimique exempli sit Hippocratica illa et in definiendo prudentia et in enunciando modestia, utraque ex

diligenti

diligenti naturae obſervatione oriunda. Etiamſi enim reliqui in tentanda vitalis principii explicatione deſudarint, haec eorum conamina nec certa nituntur ratione, et attendenti vel nudo illo τοῦ ἐνορμοῦ nomine minus ſatisfaciunt. Utinam vero, qui Hippocrati ſucceſſerunt, eximiam magni viri liberalitatem et modeſtiam vere philoſophicam aemulati eſſent! Quippe Hippocrates, quamvis ab eorum opinione, qui calorem vitae fontem habebant, non plane alienus, leges tamen, quibus Natura operatur, a priori, ut aiunt, non definiendas, ſed ab experientia ſola, fideli illa rerum magiſtra, diſcendas eſſe voluit.

Verum, o perverſas hominum mentes! tam ſimplex, tamque apta tempori et ſcientiae conditioni, de ingenti naturae myſterio meditandi dicendique ratio, Philoſophantium post Hippocratem ingeniis neque placere, neque ſufficere potuit. —— At ne miremini A. A.! Erat enim iſto tempore, vix minus quam noſtro, hominum ingenium magis in paradoxa ſpeciem habentia proclive, quam in nudam et ſimplicem veritatem.

tem. Ita enim proh dolor! comparati sumus, ut, ubi novi quid, qualicunque veri similitudine, atque insuper externa dictionis elegantia sese commendans, in medium prolatum fuerit, hoc, ut cum sapientissimo Albino loquar, et moveat facile homines et teneat. — Igitur, ex Platonis quoque theoria, ignis, at sanguinis calore nutritus et πνεύματος cuiusdam ope, per corpus vectus vitae dictus est fomes. Alii vero, ab experientiae doctrina magis etiam recedentes, inanibus indulserunt contemplationibus, atque vel igni sine isto spiritu, vel spiritui illi soli, eique vitali et animali, speciatim vitae vim tribuerunt: donec, non ita multo post, artibus et disciplinis e Graecia, antiqua Musarum sede, Romam migrantibus, Asclepiades, et πνεῦμα et ignem rejiciens, e peculiari quadam fluidorum subtilium mixtione duntaxat vitam, omniaque eius phaenomena derivare, et explicare fategerit.

Difficile quidem non sit, hanc Asclepiadis theoriam cum alia quadam, quae paucis abhinc annis in Germania inclaruit, de industria componere; sed, et ab aliis

hoc

hoc iam dudum factum est, et sine vestrae attentionis abusu in istum locum excurrere vix liceat. Missa igitur omni eiusmodi comparatione, id unum observo, hanc theoriam, quae profecto accuratiore investigatione non indigna est, quippe ipsa sua simplicitate, ad rei veritatem propius accedente, sese commendantem; eam igitur, vel ob ipsam hanc laudabilem ceteroquin simplicitatem, eandem sortem quam Hippocraticam fuisse expertam. Locum enim cedere coacta est aliis systematibus, non iis quidem plane novis, sed ex vetustioribus conflatis. Ex hoc genere inprimis Galeni theoria nobis ideo potissimum commemoranda est, quod per longum tredecim circiter saeculorum, sed quibus omnis fere eruditio penes Monachos fuit, decursum substiterit. Excipio Arabes, qui, praesertim in Academiis Hispanicis, tunc temporis diligenter excoluerunt disciplinam medicam, ita tamen, ut eam, de qua hic agimus, quaestionem non magnopere ab iis agitatam fuisse vero sit simile.

Galenus autem, reiecta iterum corpusculari Asclepiadis

piadis philosophia, denuo πνεῦμα cum calore coniunctum, tamquam vitae principium, quasi postliminio revocavit, cui *calidi innati* nomen indidit. Sumpsit insuper et qualitates quasdam, *occultas* dictas, vim nimirum *vitalem* in corde, vim *animalem* in cerebro, *naturalem* in hepate, ceterasque, quas Dogmatici isto aëvo invenerant, ut phaenomenis, adeo simplicibus et aeternis, etiamsi interpretatio, verba certe non deësſent. Non igitur mirandum, doctrinam hanc, quippe tam universe receptam, atque insuper obscuris virium occultarum verbis ulteriori rei indagationi viam praecludentem, effecisse ut, per tam immensum temporis spatium, animi auctoritatis praeiudicio adeo obfuscati fuerint, ut veritatis lumen ad mentis arcem penetrare prorsus non potuerit.

Ergone in fatis erat, ut hominum ingenium, dogmatico loquendi usu non victum modo sed vinctum, iners iaceret! Ast bene factum! tandem aliquando erectioris ingenii Viri, mystico licet Paracelsi enthusiasmo excitati, ad naturalium phaenomenorum observationem denuo accesserunt. Inter hos eminuit, de quo iam locu-

tus

tus ſum, Ioannes Baptiſta Helmontius, nobilis Belga, qui, inſtitutis phyſicis ac chemicis experimentis, veram indagandae naturae rationem tenuit, at, quod dolendum, occultae ſimul et cabbaliſticae temporis ſui ſapientiae nimis tribuit. Excogitavit ſcilicet Helmontius, ante hos ducentos et quod excurrit annos, novam de vita eiusque cauſſa theoriam. Ens nimirum ſibi finxit immateriale, Archaeum ipſi dictum, quod quidem primum ſe ipſum formaverit, formatum vero in animantium praeſertim ventriculo reſideat, indeque, ſummo per omnem oeconomiam animalem imperio potitum, corpori vitam impertiatur; vegetam illam, quando tranquillus reſidet Archaeus; qui vero excitatus vel et furibundus, perque corpus vagabundus, morbum et mortem cieat. Quod quidem ſive ſyſtema, ſive figmentum, etſi ad ſanae theoriae laudem adſpirare minime potuit, hunc tamen bonum tulit fructum, ut, ex diuturno torpore, ingenia ad proprias vires, in Veri indagatione, periclitandas et explicandas denuo converterentur.

Guil-

Guilielmus vero Harvaeus, Anglus, poſtquam momentoſisſimum ſuum, de ſanguinis circuitu, inventum publici iuris fecisſet, eoque novam prorſus perluſtrandae ipſius oeconomiae animalis anſam praebuisſet: priora omnia ſyſtemata tandem propulſa fuerunt. Quam gratum auſpicium: ast quam triſtis denuo rerum converſio! Propulſae quidem fuerunt et vires illae occultae Galeni, et πνεῦμα atque calor innatus, et Archaeus immaterialis Helmontii, ſed inſecutum est aliud εὕρημα, quo corpus vivens in meram machinam, ſive automa hydraulicum commutaretur. Cuius quidem theoriae Iatromathematicae condendae ardor originem traxisſe videtur ex philoſophia Carteſiana. Hinc omnes corporis functiones ex mero mechanismo exponi coeperunt, perinde ac ſi ſingulae quaeque actiones, haud aliter ac in Natura mortua, e cauſſa mechanica et chemica ſola oriri posſent. Ita caloris animalis fons ſola frictio habitus fuit; una reſpirationis cauſſa mechanica pectoris elevatio et depresſio: quin nutritionis et ſecretionis functiones adeo occultas, tum ex humoribus cryſtalliſatis, tum ex

angulis

angulis vaſorum rectis, obtuſis, vel acutis explicare ſategerunt. Neque vero haec mechanismi ad corpus vivens applicatio, etſi modum haud dubie excedens, magnopere obſtitisſet, ſi Hermannus ille Boerhavius, cuius doctrina, per viginti fere luſtra, in ſcholis noſtratium, velut ſol inter ſidera, emicuit, lumenque ſuum quaquaverſum diffudit: ſi, inquam, Vir immortalis totum ſe huic artis noſtrae parti dedisſet, nec, uti peritos rei arbitros cenſere intelligo, nimia fortasſe ſimplicitatis et philoſophiae corpuscularis admiratione et ſtudio deceptus, mechanismo hydraulico nimium pretium ſtatuisſet: id quod etiam de meritisſimo Boerhavii aequali, Frederico Hoffmanno, ſcholae Germanicae Doctore celeberrimo, alii obſervârunt.

In aliam longe theoriam, pneumatico-dynamicam illam, deſcendere, eadem fere aetate, viſus est Georgius Erneſtus Stahlius, contendens, ab animo noſtro omnes motus, etiam vitales, pendere, omnem vitam corpoream animo ſoli, tanquam Archaeo Helmontiano, deberi; quippe qui primum in utero materno

corpus ſuum iam ſtruat, eius poſtea motus omnes producat et ſapienti conſilio regat. Quae quidem doctrina, licet in Germania et Britannia non paucos habuerit patronos, in hac quidem inprimis Meadium, praeclarum quondam Britanniae Regis Archiatrum, et recentiorem eo Whyttium, aliosque in ſchola Edimburgenſi doctores clarisſimos; in Belgio tamen noſtro fautores fere nullos, multos adverſarios, nacta est. Quorum, aliorumque egregia pericula, ut meliorem ad Verum inveniendum viam ſtravisſe, ita quoque, ignoſcite quaeſo A. A. propenſo meo in eruditos noſtrates animo! dignisſima esſe mihi viſa ſunt, e quibus novam quaſi doctrinae epocham inchoatam esſe exiſtimemus.

Antequam egregia noſtratium in vitalis principii theoriam merita enarrem, temporis ordo poſtulat, ut paucis clarum Anglo-Britannum Glisſonium commemorem. Glisſonius enim exiſtimavit, vitam naturae, quae ipſa Viri verba ſunt, *actuoſitatem esſe, ſub-*

ſtantiae

ſtantiae energeticae propriam, ipſi materiae inditam; propoſuitque ſyſtema a notione, ſi non pſychologica, ſaltem mechanica prorſus alienum. Vitam quidem, quod Stahlio placuit, ab animo derivavit, neque legibus phyſicis ſive geometrico-hydraulicis, Iatro-mathematicorum inſtar, adſtrinxit, ſed corporum viventium vim agnovit peculiarem; praeterea declarato ſingulari illo fibrarum motricium phaenomeno, quod ipſe primus *irritabilitatem* vocavit; ſumto tandem ſpiritu quodam animali, ſubtili quidem at perceptibili. Cuius ſententiae ultimam quidem partem uberius deinceps expoſuit illuſtris Germaniae Doctor Fredericus Hoffmannus; integram vero eandem alii, inprimis Belgae, amplexi ſunt; omnibus viribus id agentes, ut eam, ceteris omnibus ſyſtematibus ad illud usque tempus inventis, veroſimiliorem redderent, et, quoad eius fieri posſet, amplificarent. Hos inter, post ſummum Boerhavium, eminuit Rega, Profesſor Lovanienſis, auditor Boerhavii, Vir de diſciplina noſtra, imo vero de univerſo humano genere, optime meritus. Ne quid

dicam de praeclaro Boerhavii Nepote, Abrahamo Kau Boerhavio, qui, cum Avunculi doctrina, Belgicae eruditionis famam in disſitas Septentrionis regiones propagavit.

Sed hoc loco non posſum, quin paulo uberius excurram in laudes Ioannis Gorteri, Batavi, Viri, acri ingenio, eximia doctrina, ſtudioque indefesſo praeclari, qui Cathedram Hardervicenſem, inde ab anno vigeſimo quinto faeculi proxime elapſi, ornavit. Hic, quum theoriam, quam ſuo tempore valere videret, obſcuriorem, judicio limato, examinasſet, verum a falſo, certum a dubio diſtinguere et didicit et docuit. Sicut igitur univerſa laudatisſimi Viri, in ſalutari arte, opera, praeſtantisſimis ſcriptis edendis inprimis probata, tanto omnium applauſu excipiebatur, ut vel Petropolim, ad aulam auguſtisſimae Imperatricis, Archiater vocaretur: ita de noſtra causſa eo potisſimum meritus est, quod, etiamſi nervorum energiam vitalem admiſerit, ſubtilius tamen de vitae, motusque vitalis causſa, diſputaverit, quam actionem dixit viventium peculiarem et

pro-

propriam, eamque adeo ne plantis quidem denegandam, ut hae, non machinarum inſtar, ſola elaſticitate moverentur, ſed ſuapte propria vi viverent. Multis autem, iisque maximis, ſummi Gorteri in diſciplinam noſtram meritis commemorandis, prudens hic abſtineo; unum dictis addendum. Namque ille, quantum ſcio, primus fuit Boerhavii diſcipulus, qui, cum unus omnium optime perſpiceret, quantum momentum vis vitalis haberet in morbis recte cognoſcendis et curandis; auſus est a ſummi Magiſtri (cuius immortalia in Medicinam merita nemo Gortero reverentius ſuſpiciebat) theoria, maxime quod ad morbum inflammatorium, recedere. Huius enim perfectiorem theoriam conſtituit, qua topicam vitalis vis incitatae efficaciam inflammationis cauſſam eſſe docuit; quae theoria omnibus poſtea vehementer arriſit. Quid quod vel hodie non pauci eandem iſtam efficaciam topicam, mutato nomine, (incitationem vocant), denuo commendent.

In hac energiae vitalis ad artis uſum applicatione, e temporis ordine nunc laudandus occurrit noſtras Fre-

dericus

dericus Winterus, primum in Franequerana, mox Leidenſi in Academia, Medicae artis Profesſor. Winterus nimirum e partium vi irritabili omnia arcesſivit vitae corporeae phaenomena, nec tamen ita, ut, cum Gortero, fluido nerveo hic primas tribueret partes, ſed inſignes tantum. Quam vero utilis et foecunda fuerit haec Winteri de vi vitali doctrina, cui jam pridem favebant magni Albini et deinceps illuſtrisſimi Gaubii praecepta; hoc igitur ſcholae Leidenſis, eo tempore, diſcipuli demonſtrârunt. Hos inter Lupſius, Rusſus, primus fuit, in opuſculo Academico contendens irritabilitatem vitae non adeo effectum, quam causſam esſe, eamque per omnem late Naturam, variis tamen gradibus et modis, diſperſam. Mox Manitius, Borusſus, idioſyncraſiam et ſpasmodicas affectiones, non e fluidorum temperie, ſed ex ſolidorum vi irritabili, repetendas esſe docuit. Poſtea Duumviri Belgae meritisſimi, Imanus Iacobus van den Boſch, morborum obſervator vere Hippocraticus, et Lambertus Bickerus, qui operibus practicis dein-

ceps

ceps inclaruit, ante hos quinquaginta, et quod excurrit, annos, coniuncta opera, instituerunt in vivis animantibus experimenta, ad irritabilitatem solidorumque vitam ulterius perscrutandam, et accuratius constituendam, pulchre excogitata. Neque tandem tacendum est de Clar. Doevereno, qui et Winteri adhuc discipulus, suis experimentis, de partium viventium irritabilitate et sensilitate rectius dijudicanda, egregie meritus est; mox vero, Groningam vocatus, doctrinam tam physiologicam quam pathologicam de solido, quod vocant, vivo, huiusque prae humoribus longe maiore momento, omni studio amplificavit, ornavit et per discipulos egregios propagavit.

Sed Civium nostrorum amore ulterius abreptis paullulum retrogrediendum nobis esse sentio. Graviter enim peccasse mihi videar, si, hoc item loco, non commemorem eximias, in hac doctrina, laudes Viri, Helvetii illius quidem, sed qui magni nostri Boerhavii, discipulus fuit carissimus, doctrinaeque eius physiologicae commentator tam studiosissimus, ut Praeceptoris

nomine

nomine unum Boerhavium perpetuo honoraverit. De Alberto Hallero me loqui facile intelligitis A. A., universae profecto scientiae nostrae lumine clarissimo, suique temporis ornamento verissimo, qui nimirum, „ neque coelo, neque terra, neque mari quidquam re- „ linquere voluit incognitum." Qualia autem experimenta A. A.! quam varia! quam innumera! Quanta in veritatis investigatione simplicitas! Quam a praeiudiciis aliena! Quanta in concludendo gravitas et modestia! Quanta denique innumerarum rerum scientia! De Irritabilitate inprimis tam subtiliter disputavit, ut eam in Halleri laudem Hallerianam vocaverit aequa posteritas. Quinam autem hanc Irritabilitatem inter et nervorum Sensilitatem, illam vitae facultatem nobiliorem, intercedant limites, definire fategit. Existimavit enim, sensiles non esse membranas, quae cavum abdominis et thoracis investiunt; quibus ossa obducuntur; ligamenta quae corporis haec fulcra coniungunt; corneam oculi tunicam; viscerumque substantiam parenchymatosam: irritabiles contra non esse nervos, partes illas, nobili

nobili vitae animali adeo necesſarias; cutim porro, corpus ab iniuriis externis defendentem; telam cellulofam, per omnem naturam organicam disperſam; tendines inſuper vaſaque, quae ſanguinem vehunt; et paucas partes alias: ſed in partibus irritabilibus primum locum asſignavit cordis ventriculo poſteriori, ſanguinem per totum corpus propellenti; proximum vero cordis ventriculo anteriori; tertium inteſtinis, quae alimenta continent et ducunt; quartum diaphragmati, quod abdomen a pectore ſeparat; ultimum muſculis omnibus, quibus motum exſerit animal.

Quos omnes et ſingulos Viri indefesſi labores ſi conſideremus, quis, quaeſo, noſtrum A. A! dubitaverit incomparabilia esſe Halleri merita, inprimis in vitae principio inveſtigando? Attamen quam admiranda est ſumma ſummi Viri modeſtia? „Ego vero" inquit, „hic „mihi nihil ſumo, qui et aliorum ante me virorum labores gratus meis ſinam praeponi, et quantum a plena „veritatis luce diſtem, lubens me ipſum moneam." Utinam vero, Hallere, eruditorum maxime! rarae mo-

deſtiae tuae exemplum omnis artis noſtrae cultores in ſcientiae ſalutem ſequerentur ! —— Tanto itaque Viro quis non, cum Werlhofio, Medico iſtius temporis inter Germanos celebratisſimo, accinat ?

„ Huic lex ſumma fuit, Naturae voce doceri,
„ Cui Dominae doctas ſubdidit artis opes,
„ Ingenuus veri vel ab hoſte nitentis amicus,
„ Cenſor et erroris candidus ipſe ſui" !

Sed ad noſtrates redeamus. Hi igitur, quippe qui e novis quibuscunque inventis, quae ſibi probabantur, verum fructum percipere geſtiebant, etiam de hac theoria in uſum practicum convertenda optime meriti ſunt. De Gorteri et Winteri hac in re ſtudio meritisque iam diximus. At horum veſtigiis praeprimis inſtitit alter immortalis Boerhavii diſcipulus, idemque eius, cum in munere ſuccesſor, tum quod ſummum est amicus, Hieronymus Davides Gaubius. Hic enim, de doctrina priſtina perficienda et emendanda aeque ſollicitus, univerſale quoddam principium vitae agnovit, per omne corpus, (ſecus ac Hallerus ſtatuerat),

inpri-

inprimis vero per folidas eius partes organicas difperfum. Atque infuper demonftravit, hanc esfe vim earum propriam, ab elafticitate aliisque attributis phyficis distinctam, communibus legibus vix obnoxiam, at impetu fingulari actuofam, idque non modo in ftatu normali fano, fed vel maxime in ftatu abnormi morbofo. Denique et viribus Naturae medicatricibus, primus fere omnium, verum pretium ftatuere docuit, et veterum de morbis humorum doctrinam, folidorum vivorum in fluidis moderandis mutandisque efficacia plenius oftendenda, egregie emendavit. Quibus omnibus effecit vir perfpicacisfimus, ut plurimi, non tantum inter noftrates, verum etiam inter exteros, magno confenfu in partes eius tranfirent.

Atqui inter Cives noftros, qui eodem ifto tempore, eadem de causfa, bene meriti funt, vir illuftrisfimus, Matthias van Geuns, memorandus mihi inprimis est; mihi, inquam, cui fingulari fummi Numinis beneficio, haud ita pridem, contigit, tanto Viro praeceptore uti. Hic enim, quem vegeta adhuc artique fa-

lutari fructuosissima senectute fruentem, hic, ubi ante multos annos eandem, ex qua discipulo dicere nunc licet, Cathedram ornavit, adesse inpense gaudeo, quique ut Traiectinis, quorum cum maxime lumen est et gloria, diu superstes et incolumis servetur, ex animo precor:— hic igitur Vir eruditissimus, iam ante hos quinquaginta duos annos, inclarescere coepit, in lucem editis duobus opusculis academicis, altero de *vitae corporeae* ratione et caussis, de *Mortis* altero: quorum illo, studiose perpensis tam Pristinorum, quam Recentiorum, in his Gorteri nostri, Halleri et praeceptorum suorum, Doevereni, Winteri, Albini, Gaubiique sententiis; examinata insuper Roberti Whyttii Britanni, quam universae scholae Edimburgensi persuaserat, opinione fere Stahliana; denique adhibitis propriis in hanc rem experimentis et industria id egit, ut concinnum, ac pro ea aetate omnibus partibus numerisque absolutum, doctrinae nostrae biologicae compendium conficeret, idque a dubiis secus sentientium liberaret.

Itaque,

Itaque, conſtituta vitae corporeae notione, eiusque a vita, quae corpori cum mente communis est, neceſſaria diſtinctione, in vitam mox corpoream eiusque principium, causſas et modos accuratius inquiſivit, et naturam eius vel characterem poſuit in partium viventium organicarum, harumque fibrarum, vi motrice propria, irritabili vel excitabili dicta; quoniam hae partes vel ſponte ſua moveri obſervantur, vel ſaltem ad motum et actionem vitalem paratae esſe et promptae, quum primum idoneo ſtimulo ad agendum veluti excitantur. Hanc ergo vim vitalem exiſtimavit ipſis fibris motricibus originetenus inhaerere, tanquam vim ſui generis, a ceteris quidem viribus et corporum qualitatibus diverſam, iisque nobiliorem, at phyſicam tamen et vere corpoream, quae neque a principio iſto tertio, neque a mente, neque a nervis, neque aliunde, advena ſit, etiamſi apto tali influxu adiuvari utique ſoleat et augeri. Stimulos porro et incitamenta quaecunque non magis veras actionis vitalis causſas esſe, quam e. g. incubatio causſa ſit formati et creſcentis in ovo pulli, vel

ignis

ignis ſcintilla, pulveri pyrio admota, exploſionis ſtupendae. Praeterea, communibus naturae corporeae legibus nihil contrarium accidere, quum valde blandus ſtimulus vehementiorem motum et reactionem provocat, quam qui a fortiori ſtimulo exiſtit; quippe quo ipſa fibra vitalis male afficiatur aut adeo corrumpatur. Ad haec irritabilitatem hanc cum vera ſenſilitate confundendam non eſſe; quum prior ſolis fibris motricibus priva ſit, poſterior ſolis nervis, functione animali ab illis valde diverſis. Inſuper non agnoſci debere verum ſtimuli ſenſum in fibra; quum fibrae facultas, ſtimulum alterum prae altero vel cupiendi vel percipiendi, quaerenda ſit in ſola diſpoſitione fibrae organicae, ad ſtimulum certum quemdam excipiendum maxime apta et idonea. Denique, vis huius vitalis ſedem et locum notabiliorem quidem eſſe in fibris muſcularibus, ſed agnoſcendam tamen etiam in organicis omnium univerſi corporis partium fibrillis, ut ne tela quidem celluloſa, tanquam univerſae texturae, ex Halleriana doctrina, primordium, excipienda prorſus videatur; cui tamen hic infimus gradus

asſig-

assignandus sit, quandoquidem, quo perfectior organismus redditur, eo etiam vis vitae consummatior esse censeatur. —— Hac autem theoria, uti insignis virium vitalium in oeconomiam nostram, tam in statu sano quam in morboso, efficacia in pleniorem lucem adducta est, ita etiam nova sed apta denominatio theoriae dynamicae, ab isto inde tempore potissimum apud Medicos, invaluit.

Ignoscite quaeso A. A.! insigni, quo praeceptorem optime de me meritum prosequor, amori, longiorem huius theoriae enarrationem. Ignoscetis utique, si et rei momentum apud animos vestros perpendatis, et summi insuper Blumenbachii auctoritatem. Hic enim Vir eruditissimus, Georgiae Augustae grande decus, qui in Physiologica doctrina omnium consensu principatum tenet, in institutionibus suis, quadraginta, post conscriptum a Geunsio nostro libellum, annis in lucem editis, de viribus vitalibus acturus, solum illud Geunsii opusculum sibi laudandum esse censuit.

Ex pluribus porro popularibus nostris, qui postea floruе-

floruerunt, unum adhuc memorasſe ſuffecerit Verſchurium, qui amplificanda, novisque experimentis ſtabilienda, vaſorum ſanguiferorum vi irritabili, eorumque effectu peculiari, tam bene meruit, ut eximias tulerit, etiam ſummi Halleri in extrema ſenectute, laudes.

Verum enim vero, dum hic Belgarum celebro labores, videri posſim aliarum gentium merita tacendo elevare velle: quod profecto ſecus ſe habet. Alii ſane, quod minime diffiteor, inter Germanos, Italos, Brittannos et Gallo-francos fuere, qui in vitae principio inveſtigando egregie deſudaverunt. Hoc ut demonſtrem, vix est quod moneam de praeſtantisſimis Halleri diſcipulis. Quis enim non magni faciat de Solitudinis aeſtimatione, deque Experientia medica tam bene meritum ſcriptorem Zimmermannum? Quis non in honore habeat Zinnium, qui, uti eleganter oculum delineavit humanum, ita quoque ſe ipſe ſagacisſimum praeſtitit obſervatorem? Quis non maxime laudet praeſtantisſimum Ludwigium, qui multis et doctisſimis operibus ſcribendis inclaruit?

Quis

Quis non meritisſimis extollat laudibus eximium humani generis amicum Tisſotum? Quis non ſummopere celebret Fabrium Pariſinum? Quis non Caldanium Paduanum? Quis non Felicem Fontanam Piſanum? ne de tot aliis dicam, qui ſinguli in eadem palaeſtra ſtrenuisſime ſeſe exercuerunt. — Quorum excellentium Medicorum in indaganda veritate induſtriam, in eadem profitenda conſtantiam, denique in explorandis, ſive Veterum ſive Recentiorum Doctorum, ſententiis prudentiam et aequitatem, utinam omnes, qui noſtra memoria id ſibi negotii datum esſe exiſtimarunt, ut et ipſi de Vitae principio disſererent, nunquam non fuisſent imitati. Sed eheu miſeram hominum conditionem! laetisſimam diem atra denuo nox excepit.

Itaque nunc, ex ordine dicendi mihi propoſito, veniendum est ad ſerioris atque adeo hodierni temporis opiniones de vitae principio, novas illas, ſi Diis placet, ſed inter ſe repugnantes; omnes tamen et alibi et

E prae-

praesertim in vicina Germania modo propositas defensasque, mox impugnatas et reiectas; quarum pleraeque in sanioris detrimentum theoriae videntur esse excogitatae, praestantissimis Nostratium, de quibus exposuimus, studiis nullo loco habitis, fortasse ne cognitis quidem, nedum ad maiorem perfectionem adductis. Id quod tamen in eam sententiam minime accipiendum, quasi de omnium, qui hac vel illa nova opinione delectantur, Virorum laudibus quicquam detractum velim, a qua profecto temeritate dicam an impudentia, et insignia haud paucorum merita, et aetatis meae cogitatio me faciunt alienissimum.

Quodsi igitur apud animos nostros attentius reputemus, quot et quanta, sive in metaphysicis, sive in physicis inventa, ne de nonnullorum hypothesibus dicam, symbolas contulerint ad commutandam plerarumque disciplinarum, in iis medicae, faciem; quis nostrum dubitaverit, et Physiologiam corporis humani et istam eius inprimis, quae de vitae principio exponit, doctrinam ingentes mutationes subire debuisse; quod

ita

ita quoque evenit. Qua de re expoſituro hanc mihi veniam date A. A.! ut non per omnes, quae hac aetate per Europam ſparſae ac ventilatae ſunt, opiniones divager, quo ipſo attentionem veſtram fortasſe nimium fatigarem, ſed praecipuas tantum, e quibus ceterae fluxisſe videntur, breviter indicem. — Mittam igitur non tantum ea, quae vel Erneſtus Platnerus, Vir clarisſimus, ante hos viginti annos, fere ad antiquatam Stahlii ſententiam, denuo in medium protulit, vel quae et alii et Bartheſius Franco-Gallus, ex mechanicis principiis, Iatromathematicorum inſtar, derivare ſategerunt; verum inprimis permultas iſtiusmodi opiniones praetermittam, quae, nulla prorſus Naturae perſcrutatione innixae, inſatiabili tantum novitatis ſtudio ortum debuerunt, et ſimul fere cum inventione et ortu interierunt. Dicendum vero mihi incumbit de quadruplici philoſophandi de vitae principio ratione, cuius vel Britanni, vel Franco-Galli, vel Germani auctores, poſtremi vero praecipue exornatores exſtiterunt.

Saeculum nimirum proxime elapſum verſus finem

vergebat, quum nova philofophandi ratio, Criticam vocant, omnibus disciplinis, in his Medicae, infignes commutationes minitaretur. Kantius quidem eius auctor, et Fichtius, Kantii difcipulus, noftrae artii proprium quafi locum adfignabant, iis eam accenfentes doctrinis, quae, phaenomenis Naturae innixae, nullum alium ac experientiam fontem agnofcerent. Quod, etfi nec momento nec utilitate caret, effectus tamen habuit valde noxios, non eos quidem ipfi philofophiae criticae, fed maxime criticorum philofophorum dictioni tribuendos. Ut enim ipfi inter huius fectae philofophos Coryphaei pasfim obfcuriore oratione ufi fuerant, ita inperitiores eius asfeclae anfam inde defumpferunt, quaefitis verborum fesquipedalium formularumque vix intelligendarum involucris inveftiendi res notisfimas et levisfimis hypothefibus, abfurdisfimis erroribus, quin et thefibus, nullum revera fenfum fundentibus, fublimitatis quamdam quafi fpeciem conciliandi, et incautis per inanes fonos et verba mente casfa imponendi. Qua calliditate, cum in aliis, tum in falutari arte, magnos motus

cierunt

cierunt, novarumque rerum cupidis, splendentibus verbis inventis novas quoque veritates sese didicisse, persuaserunt.

Tristem istam sortem inprimis experta est doctrina de vitae principio. Nam Biologia quidem pro principe totius Medicinae parte haberi coepit; verum adeo non vestigiis Halleri ac Belgarum, quae Blumenbachius, Sömmerringius, Reillius ac reliqui Viri praeclari legebant, insisti; ut potius, neglecta diligenti Naturae perscrutatione, unica ad Verum inveniendum via, de Vita eiusque principio vel infantium instar balbutirent, vel enthusiastarum more nugarentur, vel adeo declamationes poeticas, verbaque μυστηριώδες aliquid spirantia, ignorantiae praetenderent.

Quod ne cuipiam temere ac proterve dixisse videar, attendite quaeso A. A.! ad istas vitae definitiones, quibus illi, qui splendido *Philosophorum Naturalium* titulo ornantur, rem obscurissimam illustrare conati sunt. Schellingius, magni nominis inter Germanos Philosophus,

ſophus, omnem materiam corpoream, eiusque tam compoſitionem, quam ſolutionem habuit negativam Vitae conditionem. Sed veram Vitae cauſſam ſtatuit eſſe tertium quoddam principium univerſale poſitivum, quod Animam mundi vocat, per omnem naturam diſperſum, ſed tantummodo actuoſum, ubi corpora invenit ſibi recipiendo apta. „ Hoc," inquit, „ principium perpe-
„ tuum, veluti flumen magneticum, quod minimam a-
„ cum nauticam aeque afficit in mari aperto ac in quo-
„ vis occluſo terrae loco, eique ubivis directionem
„ polaricam impertit; hoc igitur principium, fluminis
„ vitalis inſtar, organa ferit ſui recipiendi capacia, iisque
„ cum ferierit actuoſam vitam tribuit."—— Hanc vero Schellingii, de immateriali vis vitalis principio opinionem, (a Darwino Anglo itidem defenſam,) qui paullo attentius conſideret, quis non protinus cogitet de illo Galeni πνεύματι, vel de aethereo veterum principio, quod univerſum mundum pervadere et animare ſtatuebant; quo fere ſenſu ille:

„ Eſſe

„ Esse — — partem divinae mentis et haustus
„ Aethereos — — namque ire per omnes
„ Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum,
„ Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
„ Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas."

Ab hac, de qua diximus, magni Schellingii sententia vix aliter ac verbis discedere videntur alterius Schellingii *cogitata de idea Vitae*, quae eo fere redeunt, ut in absoluta, tam operandi facultate, quam existentiae unitate Vita quaerenda sit. Sed haud paullo aliter Treviranus Vitae principium dixit facultatem absolutae, quae ex externis diversi generis potentiis existit, pugnae resistendi, iisque Harmoniam tribuendi. Aliter iterum Waltherus vitae caussam sitam esse docet in rerum *egoismo*, id est in earum nisu, ipsi πρωτοτύπῳ (ideale recentiores vocant) quantumpote respondendi, propriamque huic formam, inde a primis elementis usque ad ultimam consummationem, sine ulla mutatione, retinendi.

His omnibus occurrit Troxlerus, qui reliquorum philoso-

philoſophemata emendaturus; „ Vita," inquit, „ est „ aliquid, quod non apparet et non est, id est appari„ tio et exiſtentia in ſe, ſive id quod revera abſolu„ tum; Graecorum ὄντως ὄν. Non itaque quaerendum in „ mundo ſive intelligibili ſive ſenſibili, ſed utroque „ praeſtantius. Vita vero ſub apparitione et exiſtentia „ delitescens, quoniam alterutri ſubjiciebatur, dudum „ non recte cognita fuit, ſed pro effectu causſa, pro „ principio conſequens habitum. Revera Vita et appa„ ritionem et exiſtentiam continet, illa ſola causſa est; „ hae modo judicium. Quapropter Vita a ſe ipſa modo „ cogitari et enunciari potest." Et alibi Poetam fere agens idem „ id, quod est," inquit, „ quodque ap„ paret, vivit; quod vivit, praeſtigiis obedit apparitionis „ et exiſtentiae: in hiſce Vitae praeſtigiis ipſa condita „ iacet Vita, veluti myſterium miraculo, miraculumque „ myſterio plenum. —— Vita est causſa et tanquam „ causſa immortalis: causſa enim immortalis est Vita. „ Aeterna est apparitio, infinita exiſtentia: quod enim „ aeternum et immortale est, iudicium est eius, quod

„ est

„ est immortale. Id quod in apparitione aeternum est, „ est Deus, et quod in exiſtentia infinitum, Natura."

> Proh ſuperi, quantum mortalia pectora coecae
> Noctis habent.

Nunc transeundum est in Galliam, quae, quamvis ante aliquot annos terribili horrendoque concitati populi tumultu quasſata, artibus tamen placidum perfugium non omnino negavit; id quod nova, qua Chemia eo tempore aucta fuit, perfectio vel maxime comprobat. Vanae enim adverſum artem chemicam fuerunt ſine viribus irae, quam fundamento inexpugnabili ſuperſtruxit Lavoiſerius, barbarae, quae tunc temporis in optimos quosque ſaeviit, immanitatis victima, at meritis tamen immortalis. Hoc igitur Viro ſummo praeeunte et adiuvante eximius ibidem Fourcroeus, aliique Viri praeclari bene multi, univerſae Chemiae, atque adeo ſcientiae Medicae novam lucem affuderunt, tenebras priſtinas denſamque caliginem pellentem.

Quid mirum, ſi hanc etiam viam a multis ad doc-

trinam de Vita illuſtrandam tentari iſta aetas viderit? Praeſtantisſimus ſane inter Germanos Medicus Girtanner, momentoſum illud Atmoſphaerae elementum, quod oxygeneticum dicitur, pars aëris vivifica dici meretur, quippe potisſimus ad vitam excitandam ſtimulus, pro ipſo Vitae habuit principio. Quidni ignem potius? quem, jam ante hos bis mille annos, pari fortasſe iure, ad vitalis causſae dignitatem evexit Pythagoras. — Klappius quoque fluidum nerveum, dudum in oblivionem adductum, et postliminio revocavit, et ex acido animali cum materie combuſtibili iuncto oriri, perque vaſa muſculorum manare, et Vitam ipſam chemica affinitate producere finxit. — Ackermannus vero ex intima unione albuminis cum aura oxygena omnem arcesſivit Vitam, omniaque eius phaenomena. — Quid? quod eximius Reillius, a chemica iſtiusmodi explicatione non alienus, Vitam a diverſa materiae mixtione et forma derivavit. Hi igitur omnes, vel emendandae de vitali principio doctrinae nova illa inventa chemica adhibuerunt; vel adeo (quod minus videatur

laudan-

laudandum, et Fourcroeo, maximae in hisce auctoritatis Viro, iam displicuit) omnem vitalis virtutis explicationem a chemicis principiis repetierunt. Pauci tantum, ex ista schola, processui huic chemico ingentem quidem tribuerunt in Vitam animalem efficaciam, at simul tamen vim peculiarem, ab actione ista chemica omnino diversam, tenuerunt.

Accedo nunc ad tertiam de Vita philosophandi rationem, quae ex Scotia ad reliquas Europae partes pervenit, et, levitati Auctoris ortum debens, multos ubivis sectatores habuit. Nimirum Ioannes Brownius, in schola Edimburgensis Magistri Culleni, Viri summo ingenii acumine illustris, praeceptis saluberrimis vix mediocriter imbutus, nulloque adhuc usu proprio confirmatus, ut primum discipulorum subsellia reliquit, statim Doctorem agere gestiit; Doctorem autem agere? imo vero, immaturum novi systematis foetum enitens, universae disciplinae medicae aliam longe faciem reddere gestiit. Erat utique Brownii (Paracelsi quasi redivivi) ratio, ut ad speciem simplex, sic ad eorum pa-

latum, qui, compendiaria litteris ſtudendi via delectati, moleſtum illum, quo ſolo iuſtus doctrinae apparatus acquiritur, laborem refugiunt. Hinc igitur repetendum videtur, quod tam multis, praeſertim in Germania, cum univerſo ſuo ſyſtemate, hanc etiam, quae res nos maxime nunc tangit, opinionem probaverit, vitam eſſe ſtatum naturae coactum, a conditionibus externis ſive incitamentis et a potentiis internis incognitis pendentem; quorum effectus ſit qualitas occulta, Incitabilitatem vocavit, ulteriorem perſcrutationem non admittens.

Hac vero Brownii hypotheſi, nullo idoneo fundamento ſuperſtructa, ecquis non videat ulteriori iſti Naturae actuoſae perſcrutationi viam praecludi, in qua tot Viri celeberrimi, inter Noſtrates potisſimum, laudabilem operam collocarant: ingeniumque adeo humanum in angustos, e quibus olim relicta Galeni doctrina ſe expedierat, coecae occultarum virium admirationis cancellos detrudi; quo magis mirandum ne eos quidem omnes, qui crasſam Brownii theoriam in univerſum defendi posſe negarent, a defendenda occulta

culta ista vitalis principii causſa non abſtinuisſe.

Sed, misſa Brunoniani commenti levitate, tranſeamus ad quartam, quae Italiae debetur, in Germania vero perpolita est, de vitae principio theoriam. Orta ea est caſu fortuito, qui, ut momentoſisſimorum inventorum, tam in Vita, quam in artibus, pasſim auctor esſe deprehenditur, ita hic quoque ingenio humano, novam ad Verum inveniendum viam monſtravit. Clarisſimus nimirum Bononienſis Galvanius, vis electricae, cuius efficaciam in corpus animale iam cognoverat, naturam ulterius exploraturus, ranas, ferreis coercitas bacillis, cupreo hamulo attigit; quo facto motus muſculorum convulſivos, levisſimo metallorum diverſi generis attractu, cieri admirabundus animadvertit.

Auditis A. A.! fortuitam gravisſimi phaenomeni obſervationem, quae plantulam retulit ſubito in arborem excreſcentem, adhaerentibus tamen haud paucis plantis paraſiticis. Etenim plurimi, hoc eventu ingenioſi experimenti comperto, protinus ſibi perſuaſerunt, nunc ſe Vitae principium et rationem plane perſpexisſe; quapropter

ter actionem vitalem procesſum vocarunt galvanicum. Ipſe inventi Auctor, quae est ingenii noſtri imbecillitas, ab iſta opinione haud prorſus alienus fuisſe videtur, quippe qui muſculos lagenis comparavit Leidenſibus, extus negativa, intus poſitiva pollentibus electricitate. Alii vero, iique valde praeſtantes, maxime in Germania, Viri, inſtitutis novis experimentis id unice egerunt, ut Galvanismi efficaciam demonſtrarent in procesſum vitalem, quam inde tamen explicare non ſuſtinuerunt. Hac ingenii pariter ac prudentiae laude inſignes ſunt inter alios Sömmerringius, Reillius, Ritterus, praeſertim vero immortalis Humboldtius, qui tanquam Halleri aemulus, „ neque coelo, neque terra, neque „ mari quidquam relinquere voluit incognitum."

Utinam vero omnes, quas praeſertim Germania peperit, opiniones utilitatis foecunditate aeque commendabiles fuisſent, ac ultima haec ratio, quae ſic dictum Galvanismum in ſcenam produxit, quae ſaltem potentiarum, quae dicuntur, imponderabilium, in Vitam organicam efficaciae detegendae atque accuratius definiendae anſam dedit!

dedit! Verum enimvero ſi eadem induſtria, eodem labore indefesſo, quo Batavi irritabilitatem ceterosque vis vitalis fontes et formas varias pridem indagaverunt, in theoriam illam perficiendam incubuisſent noſtri temporis homines; quidni laetiorem ſcientiae noſtrae, ſolidioribus iam ſuperſtructae fundamentis, lucem affulſuram fuisſe ſperemus?

Ast vereor A. A. H. H.! ne veſtra, qua dicentem tamdiu ſuſtinuiſtis, patientia tandem aliquando abuti cenſear. Quapropter ad perorationem transeundum esſe video. Vos itaque honoratisſimi Artis ſalutaris Magiſtri et Studioſi! nunc apud animos veſtros ſtatuite, quid ſit in tanta opinionum, quas recenſuimus vel certe tetigimus, diverſitate nobis ſequendum, quaenam ſententia potisſimum amplectenda. Equidem, pace veſtra, et in omni ſcientiae noſtrae ſtudio, et inprimis hac quoque in parte, hunc Veri indagandi modum eligendum, hanc legem nobis ſcribendam esſe exiſtimem, ut, quamdiu vivimus, ſcientiam perficere et emendare ſtudentes, doctrinam antiquam, experientia et ratione nobis probatam,

nunquam vilipendamus tanquam obsoletam, neque adeo eam cum novis quibusvis hypothesibus protinus commutare gestiamus; sed nec nova, praesertim ubi vera videantur et momentum haud leve habere, alto supercilio spernamus, verum ex praecepto sacro omnia ita exploremus ut bona retineamus, inque usum nostrum diligenter convertamus, reliqua mittamus tanquam crepundia, Viris, iisque inprimis sapientibus, indigna. Itaque sequamur utilissimum perspicacissimi Angliae Cancellarii, illustris Baconis praeceptum; „ non fingendum aut excogitandum „ esse, sed inveniendum, quid Natura faciat aut ferat."— Utinam vero ad commendandam praestantissimam eam, quam e Nostratibus multos aliis praeivisse vidimus, disciplinae nostrae excolendae et perficiendae rationem etiam mea nunc aliquid adferre queant conamina!

Quum enim vestrae, Viri gravissimi! huius Musarum sedis Curatores amplissimi! perquam benignae de studiis meis opinioni, eique a sola meorum, quos consuluistis, Praeceptorum commendatione profectae, debeam, quod ego,

nuper-

nuperrime inter Artis Doctores receptus, iam, Serenisſimo Rege veſtrae opinioni ſubſcribente, ad honorificam Medicinae in hac Academia profesſionem vocatus ſim; ſtipes equidem ſim necesſe est, ſi non ſentiam, ad officia, quae muneris gravisſimi a me ratio poſtulet, exſequenda non pia ſufficere vota et deſideria, ſed toto pectore, omnibusque animi et corporis viribus mihi agendum esſe, ut, ſi minus ſpartam, quam nactus ſum, ornare et ſplendidisſimi muneris dignitatem tueri queam, certe benignam veſtram de me opinionem et ſusceptam ſpem non turpiter fallam. Quod et per ſe longe difficillimum esſe, probe intelligo, hac noſtra aetate ac ſcientiae Medicae conditione, et eo difficilius, quod Viro, et doctrina et arte longisſime praecellenti, clarisſimo, inquam, Manenio, ad alios a Rege honores et munia hinc evocato, ego, cui curta adhuc ſupellex est, ſuccesſor datus ſum. Sed iacta est alea. Studiis ergo meis et induſtria, quam indefesſam fore polliceor; his igitur adſpirante, quod ſupplex precor, Deo optimo maximo, ac favente veſtra, Viri amplisſimi!

ſimi! quam iam per annum fere expertus gratus agnoſco, benevolentia, hoc certe ſperare audeo, me ipſo uſu edoctum iri, volentibus nihil arduum esſe; quum, quaecumque tandem mea ſit tenuitas, hoc certo habeam propoſitum, ut officio fungendi voluntate a nemine vinci me patiar. Quod ſuperest, ſupremum rerum humanarum Moderatorem veneror, ut veſtra, Viri ſpectatisſimi! conſilia in Academiae noſtrae, humanae ſocietatis, ac veſtrum ipſorum emolumentum et commodum perpetuo proſperare dignetur.

Vos iam mihi compellandi eſtis, Viri admodum honorandi, diſciplinarum quarumvis Profesſores clarisſimi, quos mihi honorifico Collegarum titulo ſalutare contingit! Humanitatem, qua me excepiſtis, imo vero amicitiam, qua me beaviſtis, ut ex animi mei ſenſu praedicem, ubinam idonea ego verba inveniam? Excepiſtis hominem omnibus Vobis ignotum, atque aetate inſuper, doctrina, experientia longe minorem. Quid igitur mirum, ſi eo maiore gaudio perfuſus ſim, ubi in interiorem veſtram familiaritatem ultro a vobis admitterer,

quo

quo magis, modeste mihi diffisus, veritus fueram, ut tanto honoris et benevolentiae documento dignus haberer. Ut itaque et in posterum Vobis, Viri celeberrimi! gratus sim et acceptus, utque me, hominem, meritorum vestrorum observantissimum, vestro, sicut facitis, amore prosequi et prudenti consilio imperitum ducere et sublevare pergatis, enixe Vos rogo et obsecro! Ego vero nihil antiquius, prius nihil me habiturum esse spondeo, quam ut me vicissim talem Vobis praestem, qui nec collegii, in quod coöptatus sum, honorificentissima necessitudine indignus, et ingenuo animi candore ac propensissima in vos omnes voluntate, et vero paratissima ad quaevis amicitiae officia praestanda promtitudine, nemini secundus esse censear.

Tua inprimis amicitia gaudere mihi porro liceat, clarissime Krausi! cui arctius me iungit communis disciplinae vinculum. Annus iam fere agitur, ex quo ego talem in Te suspexi eruditionem, tantamque humanitatem, ut nesciam utro laudis genere mihi videaris dignior. Quanto autem magis inter se cohaerent studia

noſtra et ex ſe nectuntur; quanto maior est diverſarum, quae ſingulis nobis docendae ſunt, diſciplinae Medicae partium necesſitudo mutua, tanto certe maiore opus esſe ſentio operae noſtrae et induſtriae coniunctione et communitate. Hoc ergo conſilio meam Tibi amicitiam Batava fide et candore commendatam cupio. Quod tanto magis facere audeo, quo blandiore alloquio me modo de Cathedra ſalutaſti, benignumque tuum ergo me animum publice ſignificaſti.

Te vero Senex venerande, clarisſime Nieuhovi! cuius gravisſima de Philoſophia, Matheſi ac Phyſica praecepta prima et ſolida iaciunt fundamenta Phyſicae de hominis natura doctrinae, mihi uberius, ac data opera, tradendae; Teque clarisſime Rozebomi! quem Chemiae ac Botanices ſcientia Iuventutem noſtram inſtituendi provincia cum noſtra quoque diſciplina coniungit; Vos igitur, Viri Eruditisſimi! inſalutatos dimittere, nefas duco: vobis me meaque commendatisſima velim. Utinam unanimi ſtudio et recte ſociata opera laudatisſimorum Civium academicorum, quorum cura nobis est demandata,

doctrinam perficere et amplificare feliciter nobis contingat!

In Vobis tandem laetisſime deſinat Oratio mea, ingenui Iuvenes, Commilitones optimi! qui in hac bonae mentis palaeſtra exercemini. Vos inprimis, qui Medicae diſciplinae pectora conſecraſtis. Audiviſtis quam multa et quam diu, cum a Philoſophis, tum a ſalutaris artis profesſoribus, de vera principii vitalis notione diſceptata ſint; ſimulque, uti ſpero, intellexiſtis quaenam utilitas ex prudenti opinionum diverſarum, etiam apud noſtri temporis homines obviarum, cognitione et applicatione hauriri posſit et debeat; aſt grave ſimul perſpexiſtis detrimentum, quod ex temeraria reprobatione omnium, quae vetuſta audiunt, noſtra etiam ſcientia ceperit. Tali ergo conſilio Naturam ante omnia perſcrutemur humanam, ut ab hac cognitione ad proſperam non minus quam adverſam valetudinem recte curandam bene parati ſimus.

Vobis itaque Iuvenes, qui Aeſculapii caſtra ſequimini, ego, cuius indolem et docendi rationem Vos, ab

aliquo

aliquo iam tempore, ipſo uſu cognoviſtis, Vobis ſolemni hoc die et ritu, denuo me ſtudiorum vel ducem vel comitem toto animo offero, cui profecto nil ſanctius erit, nil gratius accidet, quam ſi utilisſimis veſtris ſtudiis egregie inſervire mihi detur, atque hac ratione amore veſtro et benevolentia beari!

